

itali vacantia tres Nationales Nobiles caeteris paribus praeferendos, idoneas, bene-meritas, et ad hoc vel illud Officium gradum suum habentes personas, cujus deinde arbitrii esset, unum ex propositis eligere et constituere, modo et auctoritate prorsus illa, qua proprietarii Regiminum in suis Regiminibus gaudent, aequali videlicet cum aliis Regulatorum Regiminum Officialibus, sibi in sphaera aequalibus praerogativa et activitate eo solo facto pollentem.

Sexto. Roganda ulterius esset Sua Excellentia Banalis, ut apud Suam Sacratissimam Majestatem se interponere dignetur, quatenus in Confiniis praesentis Status, et cum adiutorio DEI felicitique armorum Regiorum successu ultro pro- tendendis, tota ordinatio praesens, et dispositio futura, tam in introducendo novo ordine, quam eo conservando, constituendisque et regulandis Commissario, Auditore, et pro circumstantiarum temporis fors ordinanda administratione, ultro relinquatur penes Regnum et Banum, non obstante, si Sua Majestas Sacratissima etiam Succursum Regno ordinaret ex Aerario suo in adiutorium exolutionis constituendorum Salariorum.

Septimo. Imploranda etiam esset gratia Suae Majestatis, ut Praesidium Petrinense, cum universis tenuis actualiter eo possessis, Sua Majestas Regno cedere dignetur, formalitate Benigni Diplomatis Leopoldi de Anno 1703 emanati, ubi loco inter Jurisdictionem Politicam et Militarem Regni hujus medio, residentia Bani opportune institui posset, cui deinde de salario Sua Majestas provisionem facere dignaretur ex Aerario suo Regio, argumento Articuli 114. Anni 1715, quae tam conspicuo characteri consona esse posset.

Octavo. Quod siquidem nota angustia Jurisdictionis hujus Politicae Regni, soli item naturalis sterilitas, Comertii hactenus tolerata praeclusio, et cum his magnus pecuniae defectus se solis exhibeant, quod Domestica media et Fundus Regni non sufficient ad instruenda duo Pedestria Regimina, et tres Turmas Equitum, quam Militiam ad Statum positum, in his Regni et Banalibus Confiniis desiderare dicitur Sua Majestas Sacratissima, adque ob id necessarius nobis summendus videtur recursus ad aerarium Suae Majestatis Regium: Ideo considerato fundo Domestico actualiter Contribuente, et hoc comportato cum sumptibus necessariis pro instruenda praeapposita Militia in solis Officialibus considerata, creditur, quod praeter quantum, quod Regnum modo contribuit ad solutionem Militarem, adhuc 34. Millia flor. annue Regno essent necessaria ex Aerario Regio habenda.

Nono. Quae etiam ut Sua Majestas Sacratissima, pietate Benignitate-que propria movenda, et precibus devotis, per Suam Excellentiam Banalem pro Regno hoc interponendis disponenda, ex Cassa sua particulari et gratiali huc enumerari facere dignetur, et hanc Summam fideli huic Regno suo, sive Exactori illius pro tempore futuro, in constituendo Terminio indubie quottannis deponendam Ordinet Clementissime, humillime censetur interpellanda.

Decimo. Et quia Regnum, ultra fundum actualiter contribuentem invenire scit et monstrare posset Fundos nonnullos alios etiam, qui de Lege et